



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Iohanni Illvstri Anglorum Regi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

tisset, personæ tuæ sollicitè studeas præcavere, nec usque adeo sis prodigus vitæ tuæ ut qui victoriam velis morte mercari; cum noris, ut credimus, quòd multi deficientibus viribus redierunt ad fraudes, & cum per potentiam nequeant, student saltem per nequitiam prævalere. Quamvis enim totum negotium tuum simul expedire non possis, non debes tamen usque adeo festinare ut personam tuam fortunæ committas, sed expectare potiùs ut qui cæpit in te perficiat opus bonum, & qui honori tuo dedit principium, ipse quoque consummationem apponat. Quid autem pro te diversis scribamur personis tam ecclesiasticis quàm mundanis, per ipsarum litterarum rescripta tuæ poterit serenitati patere. Monemus verò celsitudinem tuam & propensius exhortamur quatenus senatui populoque Romano, Rectoribus Lombardiæ ac Tusciæ, singulis etiam civitatibus & Baronibus, immo etiam Archiepiscopis & Episcopis, de tuo prospero statu frequenter litteras tuas studeas destinare; per quas eis bona promittas, & inimicorum tuorum confusionem exponas. Datum Anagninæ.

**TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO**  
& suffraganeis eius, & universo clero in  
Trevirensi provincia constitutis.

Epist. 38.

**E**thi ægrè tulerimus & molestè quòd ex dissensione Principum & imperium Imperatore carebat & Ecclesia defensore, sustinimus tamen diutiùs si Principes ducti consilio saniori tam sibi quàm universo populo Christiano meliùs providerent & sopita discordia concordarent. Verùm cum expectatio nostra obesse potiùs quàm prodesse imperio videretur, ad concordiam eos per nostras duximus litteras commoneos. Sed quia nec commonitio valuit apud ipsos, consilium tandem nostrum eis per nuntium & litteras nostras curavimus aperire. Ceterùm quoniam nec consilio acquiescere curaverunt, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum propter hoc præcipuè in Theutonium duximus destinandum; qui persona Ducis Sueviæ propter causas sufficientes & multiplices reprobata, nos consentire in carissimum in Christo filium nostrum Ottonem Regem illustrem in Romanorum Imperatorem electum publicè nuntiavit. Cum ergo nos eum receperimus jam in Regem & ad coronam imperij congruo tempore disposuerimus evocare, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus ei de cetero adhareatis fideliter & potenter & tam potenter quàm viriliter assistatis, non obstante juramento si quod ratione regni prædicto Duci forsitan præstitistis, cum nos illud, eo reprobato, decreverimus non servandum. Nec vos moveant &c. in eundem modum ut in littera precedenti usque in finem.

*In eundem modum Salzburgeni & suffraganeis eius & universo clero in Salzburgeni provincia constitutis.*

*In eundem modum Magdeburgeni & suffraganeis eius & universo clero in Magdeburgeni provincia constitutis.*

*In eundem modum Bremensi & suffraganeis eius & universo clero in Bremensi provincia constitutis.*  
*In eundem modum suffraganeis & Canonicis Ecclesiæ Maguntinæ, & universo clero in Maguntina provincia constitutis.*

**PATEBURNENSI EPISCOPO.**

**G**Ratum gerimus & acceptum & tuæ devotionis constantiam in Domino commendamus quòd carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem nos receperimus jam in Regem, & ad coronam imperij congruo tempore disposuimus evocare, fideliter & constanter adhareas, & ei auxilium tribuis & favorem. Super hoc ergo devotionem tuam prosequentes actionibus gratiarum, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus eidem Regi, non obstante juramento si quod Duci Sueviæ ratione regni forsitan præstitisti, cum nos illud, eo reprobato, decreverimus non servandum, viriliter & potenter assistas, & universos consanguineos & amicos tuos ad ejus fidelitatem inducas, ita quòd ex hoc gratiam nostram plenius merearis; sciturus quòd sicuti priùs quàm ipsum acceperimus in Regem, gratum reputavimus & acceptum si quis ei fideliter adhaereret, de cetero, præsertim in viris ecclesiasticis, non dimitteremus inultum si quis se ipsi duceret opponendum. Non autem te moveant maledicta quorundam &c.

Epist. 59.

*In eundem modum Episcopo Osenbruchenensi, Monasteriensi, Trajectensi, Hildesemensi, Mindensi, ita quòd unicuique seorsim.*

*In eundem modum Abbati Vverdensi, Abbati sancti Cornelij, Abbati Promiensi, & Præposito Bumenensi, ita quòd unicuique seorsim.*

*In eundem ferè modum Colonienfi Archiepiscopo & suffraganeis eius.*

*In eundem ferè modum Comiti Flandrensi ut Episcopo Pateburnensi usque merearis. Non autem te moveant &c.*

*In eundem modum Comiti Nanurcensi, Duci de Lembure, Comiti de Loen, de Vvassenberc, Vvaleranno, Comiti de Hostaden, Comiti de Aire, Comiti de Sain, Comiti de Eppestein, Comiti de Tikenbure, Comiti de Cessele, Hermannno de Lippe, Comiti Hollandia, Comiti de Boren, Comiti de Los, Comiti de Tecbeburg, Comiti de Montana, Gut. fratri venerabili Siffrido Archiepiscopo Maguntino.*

*In eundem modum nobili viro Comiti de Viana, Comiti de Arnesberc, & Comiti de Acen. ita quòd unicuique seorsim.*

**IOHANNI ILLUSTRIS**  
Anglorum Regi.

**C**um carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris non potuerit te absolvere à debito quo teneris inclito Regi Ottoni nepoti tuo in Romanorum Imperatorem electo, quemadmodum nec ipse Rex Otto te posset absolvere à debito quo teneris præfato Regi Francorum, cum & ratio diceret & natura deposcat ut avunculus debeat subvenire nepoti, profectò juramentum quod eidem Regi Francorum diceris præstitisse, ne videlicet subvenires prænominato

Epist. 60.

prænominato Regi nepoti tuo, debet illoitum  
judicari. Nos igitur & tuæ salutis & tuæ utilitati  
paterna volentes sollicitudine providere, quia  
secundum Prophetam debemus dissolvere colli-  
gationes impietatis & fasciculos deprimentes,  
juramentum hujusmodi, quantum ad hunc spe-  
ctat articulum, tam à te quam ab iis qui pro  
te taliter juraverunt decernimus non servan-  
dum, serenitati tuæ per apostolica scripta man-  
dantes quatenus eo penitus non obstante debi-  
tum illi subsidium & favorem impendas.

LITTERÆ QUORUNDAM  
Principum juvenum parti Philippi.

Epist. 61.

S Anctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ  
Romane sedis summo & universali Pontifici, Dei  
gratia Magdeburgensis, Brementis Archiepiscopi, Vvar-  
mationensis, Patavienfis, Ratisponensis, Constantienfis,  
Augustensis, Ektadenfis, Havelbergenfis, Brandebur-  
genfis, Mitnenfis, Nuemburgensis Episcopi, Babenber-  
genfis electus, Fuldenfis, Herseveldensis, Campidonen-  
fis Abbates, Rex Boemiar, Dux Zaringie & rector Bur-  
gundie, Dux Saxonie, Dux Austrie & Stirie, Dux Me-  
ranie, Turingie Langravius, Marchio Moravie orien-  
talis, Misensis, Brandeburgensis Marchiones, de Orla-  
mund, de Summerfenberch, de Brenen, de Vvitin Comi-  
tes, salutem & debitam in Christo reverentiam. Extrin-  
se non valet ratio, nec rudis simplicitas hoc potest cre-  
dere, ut inde juris cuiusque surgat turbatio ubi juris so-  
llicitas permansit hæcenus inconvulsa. Quis tam duri  
etiam tamque perversi sensus extimer ut inde emanet su-  
perstitio ubi quiescere debet sanctitas? Divina enim or-  
dinatione, non humano iudicio, pie & salubriter est pro-  
visum ut in urbe Romana, ubi olim erat caput supersti-  
tionis, illic quiesceret caput sanctitatis; & suppliciter  
omnibus est orandum ut ad extremitatem non recedatur  
principium, ne omega dicatur revolasse ad alpha. Non  
ergo sacrosanctæ Romane sedis sanctitas & cuncta pie  
fovens paternitas hoc sentire ullo modo nos permittit, ea  
que juri dissona & honestati contraria à Domino Præ-  
nestino vestre sanctitatis, ut ipse asserit, Legato in Ro-  
manorum Regis electione sunt indecenter nimium per-  
petrata, ut de vestre mixte prudentia prodierint conscien-  
tia, nec sanctissimam sancti coetus Cardinalium credimus  
hoc convenientiam accessisse. Quis enim huic similem  
audivit audaciam? Quis verus accedere potest testis fore  
hæcenus sic præsumptum, cum nec hoc testetur fabula,  
nec asserit res gesta, nec cuiusquam hoc edictis asseve-  
ret series? Vbinam legis, o summi Pontifices, ubi au-  
distis, sancti patres, totius Ecclesie Cardinales, antecesso-  
res vestros vel eorum missos Romanorum Regum se-  
lectionibus immiscuisse, sic ut vel electorum personam  
gererent, vel ut cognitores electionis vires trutinarent?  
Respondendi instantiam vos credimus non habere. In  
Romanorum enim electione Pontificum hoc erat imperi-  
ali diademati reservatum, ut eam Romanorum Impera-  
torum auctoritate non accommodata ullatenus fieri non  
liceret. Imperialis verò munificencia, que cultum Dei  
semper ampliare studuit, & ejus Ecclesiam privilegio-  
rum specialitate decorare curavit, hunc honoris titulum  
Dei Ecclesie reverenter remisit, quod constitutio primi  
Henrici evidenter explanat, cujus series hæc est: *Pe-  
nultus missorum nostrorum cujusque impositionis argu-  
mentum in electione Romani Pontificis componere audent om-  
nino prohibemus.* Si laicalis simplicitas bonum quod de ju-  
re habuit reverenter contempsit, sanctitas pontificalis ad  
bonum quod nunquam habuit quomodo manum ponit?  
Sed cum vestre sanctæ curie tamquam pie matris nos tan-  
gat opprobrium, cum ad Romani imperij sumus ascripti  
titulum, ejus injuriam cogimur non tacere. Vobis ergo  
supraascriptorum Principum cum dolore aperit universitas  
quod Prænestinus Episcopus in Romanorum Regis elec-  
tione contra omnem juris ordinem se ingessit, nec vide-  
re possumus cujus personam inculpabiliter se gerat. Ge-  
rit enim vel personam electoris, vel personam cognito-  
ris. Si electoris, quomodo quaesivit opportunitatem qua-  
liter arbitris absentibus mendaciam veritatem & crimine  
virtutem mutaret? Quomodo enim ea pars Principum

quam numerus ampliat, quam dignitas effert, injustè  
nimium est contempta? Et si cognitoris, hanc gestare non  
potuit. Romanorum enim Regis electio, si in se scissa  
fuerit, non est superior iudex cujus ipsa sententia inte-  
granda, sed eligentium voluntate spontanea consuenda.  
Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus,  
actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potesta-  
tis utriusque discrevit; ut & Deo militans, minime se  
negotiis implicaret secularibus, ac vicissim non ille re-  
bus divinis præsidere videretur qui esset negotiis seculari-  
bus implicatus. Sed si vos iudicem consentimini, factum  
hoc excusationem habere non potest. Vestrum enim in  
vos possumus exercere gladium, quia absente alia parte,  
sententia à iudice dicta nullam habeat firmitatem. Quid  
ergo prædicti Prænestini sententia in Ottone firmare po-  
tuit, cum nihil ante in eo factum sit? Nam quid erit  
aut quas vires habere poterit quod ab iis sit quod tenuior  
compeleat numerus, quos minor comitatur auctoritas,  
quod partis alterius reddidit absentia vitiosum? Contra  
eum ergo qui talia operatus est minus decentia velle se  
rigor exerceat, sit in eum tamen pie favens disciplina.  
Vobis enim, Pater sanctissime, insinuare decrevimus quia  
electionis nostræ vota in serenissimum Dominum nos-  
trum Philippum Romanorum Regem & semper Augusti-  
tum una voce, uno consensu contulimus, hoc sponden-  
tes, hoc firmiter promittentes, quod à vestra & Roma-  
næ sedis obedientia non recederet, & cum Deo & vobis sua  
devotio redderet acceptum, & filialis cum timor imbueret,  
& defensoris eam strenuitas commendabit. Unde petimus  
ut veniente tempore & loco, sicut vestri officij est, unctionis  
ipsi beneficium non negetis.

Cap. Absente. 32  
q. 9. Vide Innocentium  
3. lib. 1. epist. 139.

NOBILI VIRO DVCI ZARINGIÆ.

Venerabilem fratrem nostrum Salzburgen-  
sem Archiepiscopum & dilectum filium  
Abbatem de Salem & nobilem virum Marchio-  
nem orientalem quorundam Principum nuntios  
ad sedem apostolicam destinatos benignè re-  
cepimus, & eis benevolam duximus audien-  
tiam indulgentiam. Litteras quoque quas per  
eos quidam nobiles Principes destinarunt dili-  
genter perlegi fecimus, & quæ continebantur in  
eis notavimus universa. Inter cetera verò quæ  
dicti Principes per eandem nobis litteras intina-  
runt hac præcipue objectione sunt usi, di-  
centes quod venerabilis frater noster Prænestinus  
Episcopus apostolicæ sedis Legatus aut electo-  
ris gessit aut cognitoris personam; si electoris,  
in alienam messem miserat falcem suam, & ele-  
ctioni se ingerens, Principum derogaverat dig-  
nitati; si cognitoris, absente altera partium vi-  
detur perperam processisse, cum citata non fue-  
rit, & ideo non debuerit contumax judicari.  
Verum nos, qui secundum apostolicæ servitutis  
officium sumus singulari in justitia debitores, si-  
cut justitiam nostram ab aliis nolumus usurpari,  
sic jus Principum nobis nolumus vendicare. Unde  
illis Principibus jus & potestatem eligendi  
Regem, in Imperatorem postmodum promo-  
vendum, recognoscimus ut debemus ad quos de  
jure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere;  
præsertim cum ad eos jus & potestas hujusmodi  
ab apostolica sede pervenerit, quæ Romanum  
imperium in persona magnifici Karoli à Græcis  
transiit in Germanos. Sed & Principes recog-  
noscere debent, & utique recognoscunt, quod  
jus & auctoritas examinandi personam electam  
in Regem & promovendam in imperium ad nos  
spectat, qui eam inungimus, consecramus, &  
coronamus. Est enim regulariter & generaliter  
observatum, ut ad eum examinatio personæ per-  
tineat ad quem impositio manus spectat. Num-  
Yyy

Epist. 62.  
Cap. Venerabili-  
um. De electo.

\*Rationald. conti-  
nentiam

Vide lib. 3. Mi-  
cellaneor. nostror.  
pag. 490. & seqq.

Apud Baron. ad  
an. 1014 & 5. 7.

Tom. I.

Yyy